


**Universitätsbibliothek Mannheim**

**M. Tul. Ciceronis Paradoxa, ad M. Brutum**

**Cicero, Marcus Tullius**

**Parisiis, 1543**


**urn:nbn:de:bsz:180-digad-9765**






BIBLIOTHEK  
DESSELTORS  
MANNHEIM









C. B.

af 72  
269

L 222 D 92



N. Tullii  
Definitiones  
contra Caelii  
Calpurnii  
Disquisitiones  
in officia,  
per Grifolum.

Paris. 1598. 8.  
Menars 1720.  
n. 1168. 2 flor.

Ramus in  
Agrarias.  
et de facto.  
P. 1561. 1563.  
4.º Coe. 1687  
p. 83 15619.

Modo di Studiare.  
Epistole di Ciarone,  
da Oratio Toscanella.  
Venet. 1608. 4.º mar.  
n. 2743. 2 flor.

Id. et Dialogo Ric.  
da partitione orati.  
Dal medef. Toscan.  
Venet. Giolito.  
1608. 4.º florcel  
1774. n. 7637.  
3.º 15.

medef. modo. 16.  
1568. 4.º favy. 1780

N. Tullii  
 Definitiones  
 contra Calvi  
 Calceagnini  
 Disquisitiones  
 in eius officia,  
 per Grifelum.  
 Paris. 1598. 8.  
 Menars. 1720.  
 n. 1168. 2 flor.

Ramus in  
 Agrariis.  
 et de facto.  
 P. 1561. 1563.  
 4. 601. 1607  
 P. 651. 619.

1. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.  
 2. 239. 2. 632. 1.



IN M. T. CICERONIS PARADOXA  
M. Tul. Ciceronis  
PARADOXA, AD M. BRVTVM.



PARISIIS

*Ex officina Michaelis Vascosani in uia quæ est  
ad diuum Iacobum, sub Fontis insigni.*

M. D. XLIII.



IN M. T. CICERONIS PARADOXA  
*Argumentum per Franciscum Syluium.*



**P**aradoxa interpretatur Quintilianus libro ix. inopinata: Cicero in libro Academicarum questionum quarto, admirabilia. *ωαγ* enim præter, & *αεγ* opinio Græce dicitur. Hæc autem quia discrepant ab opinione populari, admirabilia uidentur. Ea autem à Zenone Citico, qui Stoicorum author fuit, originem habent: cuius illæ sententiæ atque præcepta sunt apud Ciceronem in oratione pro L. Murena: Sapientem gratia nunquam moueri: nunquam cuiusquam delicto ignoscere. Neminem misericordem esse nisi stultum & leuem. Viri esse, neque exorari neque placari. Solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges. Nos autem qui sapientes non sumus, fugitiuos, exules, hostes, insanos denique esse dicunt. Omnia peccata esse paria. Omne delictum scelus esse nefarium. Nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceum, quam opus non fuerit, quam eum qui patrem suffocauerit. Sapientem nihil opinari, nullius rei prænitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. Idem Stoici dicunt, ut ait idem libro quarto Academicarum, omnia quæ ubique essent, sapientis esse. Neminem Consulem, Prætozem, Imperatorem, nescio an ne Quinqueuirum quidem, nisi sapientem, solum ciuem, solum liberum: insipientes omnes, peregrinos, exules, seruos, fariosos. Denique scripta Lycurgi, Solonis, Duodecim tabulas nostras, non esse leges, ne urbes denique aut ciuitates, nisi quæ essent sapientum. Alia quoque sunt apud Diogenem Laertium in uita Zenonis Citici in libro. VII. quæ prudens omitto. Ex his tam multis Stoicorum Paradoxis Cicero in hoc libello sex tantum tractat: ut inde specimen præbeat alia quoque probari posse. Hecatonem Stoicum alia quoque multa probasse conijcere licet: quæ idem Laertius eodem libro citat ex libro de Paradoxis tertio. Ad M. Brutum) Hic est Brutus, qui fuit unus ex Cæsaris interfectoribus, cuius uitam Plutarchus scripsit. Cicero quantum hunc dilexerit, scribit ad M. Cælium libro Epistolarum familiarium secundo: Brutum, inquit, à me amari intelligis. Quid est causæ cur mihi non in optatis sit complecti hominem florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinis, amicis, Collegam meum præsertim, & in ipsa collegij laude & scientia studiosum mei? Idem ad Dolabellam libro. ix. Semper amavi M. Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam.





M. TVL. CICERONIS PARADO-  
XA, AD M. BRVTVM.



Nimaduerti Brute, sæpè Catonem auun-  
culum tuum, cum in Senatu sententiam di-  
ceret, locos graues ex philosophia tracta-  
re, abhorrentes ab hoc usu forensi, & pu-  
blico: sed dicendo consequi tamen, ut illa etiã  
populo probabilia uideretur. Quod eo ma-  
ius est illi, quàm aut tibi, aut nobis, quia nos ea philosophia  
plus utimur, quæ peperit dicendi copiam: & in qua dicun-  
tur ea, quæ non multum discrepent ab opinione populari.  
Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus, & ea sentit  
quæ non sanè probantur in uulgus: & in ea est heresi, quæ  
nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum,  
sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis, quod propo-  
suit, efficit. Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo  
fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non  
splendescat oratione, & tanquam excolatur. Quod quum  
ita putarem, feci etiam audacius quàm ille ipse de quo lo-  
quor. Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de conti-  
nentia, de morte, de omni laude uirtutis, de dijs immortali-  
bus, de charitate patriæ, stoicè solet, oratorijs ornamentis ad-  
hibitis, dicere: ego tibi illa ipsa, quæ uix in gymnasijis &  
in ocio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. Quæ  
quia sunt admirabilia, contraque opinionem omnium, ab ipsis  
etiam paradoxa appellantur, tentare uolui, possentne profer-  
ri in lucem, id est in forum, & ita dici, ut probarentur: an  
alia quædam esset erudita, alia popularis oratio. Eoque scri-  
psi libentius, quòd mihi ista παρὰ δόξαν quæ appellant, maxi-

A ij



ximè uidentur esse Socratica, longèque uerissima. Accipies igitur hoc paruum opusculum, lucubratum his iam contratioribus noctibus: quoniam illud maiorum uigiliarum munus in tuo nomine apparuit: & degustabis genus exercitationum mearum, quibus uti consueui, cum ea quæ dicuntur in scholis  $\alpha\tau\tau\alpha$ , ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus in apertum ut reseras, nihil postulo. Non enim est tale ut in arce poni possit, quasi Minerva illa Phidia, sed tamen ut ex eadem officina exisse appareat.

$\delta\tau\iota\ \mu\acute{\iota}\nu\omicron\nu\ \varepsilon\ \kappa\alpha\lambda\acute{\omicron}\nu\ \alpha\gamma\alpha\theta\acute{\omicron}\nu.$

Quod honestum sit, id solum bonum esse. Paradoxon I.



Ereor ne cui uestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta hæc uideatur oratio. Dicam quod sentio tamen, & dicam breuius quàm res tanta dici potest. Nunquam mehercle ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas quibus maximè adstricti sunt, uoluptates, in bonis rebus aut expetendis esse duxi: quippe cum uiderè homines his rebus circumfluentibus, ea tamè desiderare maximè, quibus abūdarèt. Neq; enim unquā expletur nec satiatur cupiditatis sitis: neq; solū ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum maiorū nostrorum sæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla & commutabilia pecuniæ membra uerbo bona putauerunt appellanda, cum re ac factis longè aliter iudicauissent. Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? At qui ista omnia talia uidemus, ut etiam improbi habeant, & obsint probis. Quamobrè licet

irri-



irrideat siqui uult, plus apud me tamen uera ratio ualebit, quam uulgi opinio. Neq; ego unquã bona perdidisse dicam, si quis pecus aut supellectilem amiserit. Necnõ sepe laudabo sapientem illum, Biantem ut opinor, qui numeratur in septẽ, cuius cum patriam Prienen cepisset hostis, ceterique ita fugerent ut multa de suis rebus asportaret: cum esset admonitus à quodam, ut idem ipse faceret: Ego uerò, inquit, facio: nam omnia mecum porto mea. Ille hæc ludibria fortunæ, ne sua quidẽ putauit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quæret aliquis, bonũ? Si quid rectè fit, & honestè, & cum uirtute, id benè fieri uerè dicitur: quod rectum & honestũ, & cum uirtute est, id solum opinor bonũ. Sed hæc uideri possunt obscuriora, cum lentius disputantur. Vita atque factis illustranda sunt summorum uirorum hæc: quæ uerbis subtilius quàm satis est, disputari uidentur. Quæro enim à uobis, num ullam cogitationẽ habuisse uideantur ij qui hanc rempubl. tam præclare fundatã nobis reliquerunt, aut auri aut argenti ad auaritiam, aut amœnitatũ ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad uoluptates? Ponite ante oculos unumquẽque Regum: uultis à Romulo? uultis post liberam ciuitatem ab ijs ipsis qui liberauerunt eam? Quibus tandem Romulus gradibus ascendit in cælum? Uisne, quæ isti bona appellant, an rebus gestis atq; uirtutibus? Quid? à Numa Pompilio? minúsne gratas dijs immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, q̃ simplicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos (sunt enim omnes pares inter se, præter Superbum) Brutũ si qui roget, quid egerit in patria liberanda: si quis item reliquos eiusdem cõsiliij socios, quid spectauerint, quid secuti sint: num quis existat, cui uoluptas, cui diuitiæ, cui denique præter officium fortis & magni uiri, quicquã aliud propositum fuisse uideat-

A. iij.



tur? Quæ res ad necem Porſenæ Quintum Mutium impulit ſine ulla ſpe ſalutis ſuæ? Quæ uis Coclitem contra omnes hoſtium copias tenuit in pōte ſolum? Quæ patrem Decium, quæ filium deuouit, ac immiſit in armatas hoſtium copias? Quid cōtinentia C. Fabritij, quid tenuitas uictus M. Curij ſequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici C. & P. Scipiones, qui Carthaginenſium aduentum corporibus ſuis intercludendum putauerunt? Quid Aphricanus maior? quid minor? quid inter horū ætates interiectus Cato? quid innumerabiles alij? nam domeſticis exemplis abundamus. An cogitaſſe quicquam in uita ſibi eſſe expetendū, niſi quod laudabile & præclarum uideretur? Veniant igitur iſti irriſores huius orationis ac ſententiæ, & iam uel ipſi iudicent utrū ſe horū alicuius, qui marmoreis tectis, ebore & auro fulgentibus, qui ſignis, qui tabulis, qui cælato auro & argento, qui Corinthijs operibus abundant: an C. Fabritij, qui nihil eorum habuit, nihil habere uoluit, ſe ſimiles eſſe malint. Atque hæc quidem, quæ modò huc, modò illuc transferuntur, facile adduci ſolent ut in bonis rebus eſſe negent: illud arctè tenent, accuratèque defendūt, uoluptatem eſſe ſummum bonum. Quæ quidem mihi uox pecudum uidetur eſſe, non hominū. Tu cum tibi ſiue deus, ſiue mater (ut ita dicam) rerum omnium natura, dederit animum quo nihil eſt præſtantius neq; diuinius, ſic te ipſe abiicies atq; proſternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquā putes intereſſe? Quicquām ne bonum eſt, quod non eum qui id poſſidet, meliorem facit? Vt enim quiſq; eſt maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime. Neque eſt ullum bonum, de quo non is qui id habeat, honeſtè poſſit gloriari. Quid autem eſt horum in uoluptate? melioremne efficit aut laudabiliorem uirum? an quiſquam in potiundis uoluptatibus gloriādo ſe & prædicatione



prædicatione effert? Atqui si uoluptas (quæ plurimorum patrocinijs defenditur) in rebus bonis habenda non est, eaq; quod est maior, eo magis mentem è sua sede & statu dimouet: profectò nihil est aliud bene & beate uiuere, nisi honestè & rectè uiuere.

ὅτι αὐταρχὴς ἢ ἀρετὴ πρὸς βδοχὴ μόντα. In quo uirtus sit, ei nihil deesse ad beate uiuendum.

Paradoxon 2.

**N**Ec uerò ego M. Regulum æruiosum, nec infælicem, nec miserum unquam putauì. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur à Pænis, non grauitas, non fides, non constantia, non ulla uirtus, non denique animus ipse, qui tot uirtutum præsidio, tantòque comitatu, cum corpus eius caperetur, capi certè ipse non potuit. C. uerò Marium uidimus, qui mihi secundis rebus unus ex fortunatis hominibus, aduersis unus ex summis uiris uidebatur: quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis insane, nescis quantas uires uirtus habeat. Nomen tantum uirtutis usurpas, quid ipsa ualeat, ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia. Cui spes omnis & ratio & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihil quod exploratū habeat permāsū sibi, ne unū quidem diē. Eum tu hominē terrecto, si quē eris nactus istiusmodi, mortis aut exilij minis: mihi uerò qe quid acciderit in tā ingrata ciuitate, ne recusanti quidem euenerit, nō modò non repugnanti. Quid enim ego laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilarunt curæ & cogitationes meæ, si quidē nihil peperì tale, nihil cōsecutus sum, ut eo statu essem, quē neq; fortune temeritas, neq; inimicorū labefactaret iniuria? Mortē mne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus; an exiliū, ut ab improbis demigrandū sit? Sit



mors terribilis ijs, quorum cum uita omnia extinguuntur: non ijs, quorum laus emori non potest. Exilium autem illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non ijs qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. Te miseria, te ærumna premunt omnes, qui te beatum, qui florentem putas: tuæ libidines te torquēt: tu dies noctesque cruciaris, cui nec sat est quod est, & idipsum ne non diuturnum sit futurum, times. Te conscientia stimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant iudiciorum atque legum. Quocunque aspexisti, ut furia, sic tuæ tibi occurrūt iniuria, quæ te suspirare non sinunt. Quamobrem ut improbo & stulto & inertī nemini bene esse potest: sic bonus uir & sapiens & fortis, miser esse nemo potest. Nec uerò cuius uirtus morēsque laudandi sunt, eius non laudanda uita est: neque porro fugienda uita est, quæ laudanda est: esset autem fugienda, si esset misera. Quamobrem quicquid est laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum uideri decet.

ὅτι ἴσα τὰ ἀμαρτήματα, καὶ τὰ κατὰ νόμον.

Quod æqualia sunt peccata. Paradoxon 3.

**P**arua, inquit, est res: at magna culpa. Nec enim peccata rerum cūctis, sed uitij hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio maius esse, aut minus: ipsum quidē illud peccare, quoquò uerteris, unum est. Auri nauem euertat gubernator, an palcæ, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Lapsa est libido in muliere ignota? dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili uirgine: peccauit uerò nihilominus. siquidem est peccare, tãquam transire lineas: quod si quum feceris, culpa cōmissa est: q̃ longè progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam



di culpam nihil pertinet. Peccare certè licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur nō licere. Id si nec maius nec minus unquā fieri potest, quoniā in eo est peccatū, si non licuit: quod semper unum & idem est, quæ ex eo peccata nascantur, æqualia sint oportet. Quod si uirtutes pares sunt inter se, paria esse etiā uitia necesse est. Atqui pares esse uirtutes, nec bono uiro meliorem, nec temperante temperatiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapienterem posse fieri, facillimè potest perspicui. An uirum bonum dices, qui depositū nullo teste, cum lucrari impune posset, auri pondo decem reddiderit, si idem in decem millibus pondo auri non idem fecerit? Aut temperantem, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Vna uirtus est, cōsentiens cum ratione, & perpetua cōstantia. Nihil huc addi potest quò magis uirtus sit: nihil demi ut uirtutis nomē relinquatur. Etenim si bene facta, rectè facta sunt, & nihil recto rectius: certè ne bono quidem melius quicquam inueniri potest. Sequitur igitur, ut etiam uitia sint paria. siquidem prauitates animi rectè uitia dicuntur. Atqui quoniā pares uirtutes sunt, rectè facta, quando à uirtutibus proficiuntur, paria esse debent. Itēque peccata, quoniam ex uitijis manant, sint æqualia necesse est. A philosophis, inquit, ista sumis. Metuebam ne à lenonibus diceret. Socrates disputabat isto modo. Benè hercule narras. nam istum doctum & sapientem uirum fuisse memoriæ traditum est. Sed tamen quero ex te, (quoniā uerbis inter nos contendimus, non pugnis) utrum bonis est quærendum, quid baiuli atque operarij, an quid homines doctissimi senserint, præsertim cum hac sententia non modò uerior, sed ne utilior quidem hominum uitæ reperiri ulla possit? Quæ uis est enim, quæ magis arceat homines ab improbitate omni, quàm si senserint nullum in delictis esse disci-



mē? æquē peccare se, si priuatis, ac si magistratibus manus ad-  
 ferant? quācunque in domum stuprum intulerint, eandē esse la-  
 bem libidinis? Nihilne igitur interest (nam hoc dicet aliquis)  
 patrē quis necet, an seruum? Nuda ista si ponas, iudicari qua-  
 lia sint, non facile possunt. Patrem uita priuare, si per se scelus  
 est: Saguntini qui parentes suos liberos emori, quā seruos ui-  
 uere maluerunt, parricidæ fuerunt. Ergo & parenti nōnun-  
 quam adimi uita sine scelere potest, & seruo sæpe sine iniuria  
 non potest. Causa igitur hæc, non natura distinguit. quæ quo-  
 niam utrō accessit, id fit propensius: si utroq; adiuncta est, pa-  
 ria fiant necesse est. Illud tamen interest, quod in seruo necan-  
 do, si id fit iniuria, semel peccatur: in patris uita uiolanda mul-  
 ta peccantur. uiolatur is qui procreauit: is qui aluit: is qui eru-  
 diuit: is qui in sede ac domo atq; in Republica collocauit. mul-  
 titudine peccatorum præstat, eoque pœna maiore dignus est.  
 Sed nos in uita non quæ cuique peccato pœna sit, sed quantum  
 cuique liceat, spectare debemus. Quicquid non oportet, sce-  
 lus esse: quicquid non licet, nefas putare debemus. Etiamne  
 in minimis rebus? Etiam. siquidem rerum modum fingere non  
 possumus, animorum modum tenere possumus. Histrio si pau-  
 lum se mouit extra numerum, aut si uersus pronunciatuſ est  
 syllaba una breuior aut longior, exhibatur, exploditur: in  
 uita, quæ omni gestu moderatur, omni uersu aptior esse de-  
 bet, ut in syllaba te peccasse dices? Poëtam non audio in nu-  
 gis, in uitæ societate audiam cinem digitis peccata dimetien-  
 tem suā? Si uisa sint breuiora, leuiora uideantur. Quā pos-  
 sint uideri, cum quicquid peccetur, perturbatione peccetur  
 rationis atque ordinis, perturbata autem semel ratione & or-  
 dine, nihil possit addi quo magis peccari posse uideatur?



ὅτι πᾶς ἀφραδὲς μολίηται. Omnes stultos insa-  
nire. Paradoxon 4.



Go uerò te non stultum, ut scire: non improbum,  
ut semper: sed dementem & insanum rebus addi-  
cam necessarijs. Sapientis animus magnitudine cõ-  
siliij, tolerantia rerum humanarum, contemptione  
fortuna, uirtutibus denique omnibus ut mœnibus septus, uin-  
cetur & expugnabitur, qui ne ciuitate quidem pelli potest?  
Quæ est enim ciuitas? omnisne conuentus etiam ferorũ & im-  
manium? omnisne etiã fugitiuorum ac latronũ congregata unũ  
in locum multitudo? certe negabis. Non igitur erat illa tum ci-  
uitas, cum leges in ea nihil ualebant, cum iudicia iacebant,  
cum mos patrius occiderat, cum ferro pulsus magistratibus,  
Senatus nomen in Repub. non erat. Prædonum ille concursus,  
& te duce latrocinium in foro constitutum, & reliquæ con-  
iurationis à Catilinæ furijs ad tuum scelus furorẽque con-  
uersæ, non ciuitas erat. Itaque pulsus ego ciuitate non sum,  
quæ nulla erat: accersitus in ciuitatem sum, cum esset in Rep.  
Cõsul, qui tum nullus fuerat: esset Senatus, qui tum occiderat:  
esset consensus populi liberi, esset iuris & æquitatis (quæ uin-  
cula sunt ciuitatis) repetita memoria. Ac uide quàm ista tui la-  
trocinij tela contempserim. Iactam & immissam à te nefariã  
in me iniuriam semper duxi, peruenisse ad me nunquam pu-  
taui: nisi fortè cum parietes disturbabas, aut cum tectis scele-  
ratas faces inferebas, meorũ aliquid ruere aut deflagrare ar-  
bitrabare. Nihil neq; meũ est, neque cuiusquam, quod aufer-  
ri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses diuinã ani-  
mi mei constantiã, meis curis, uigilijs, cõsilijs, stare te inuitissi-  
mo Remp. si huius æterni beneficij immortalem memoriã de-  
leuisses, multo etiam magis si illam mentem unde hæc consilia



manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepiſſe me conſiterer iniuriam. Sed ſi hæc nec feciſti, nec facere potuiſti: reditum mihi glorioſum iniuria tua dedit, non exitum calamitoſum. Ergo ego ſemper ciuis, & tum maximè, cum meam ſalutem Senatus exteris nationibus, ciuis optimi, commendabat. Tu nunc quidem: niſi fortè idem hoſtis eſſe & ciuis poteſt. An tu ciuem ab hoſte natura ac loco, non animo factiſque diſtinguiſ? Cædem in foro feciſti: armatis latronibus templa tenuiſti. Priuatorum domos, ædes ſacras incendiſti. Cur hoſtis Spartacus, ſi tu ciuis? Potes autem eſſe tu ciuis, propter quem aliquando ciuitas non fuit? Et me tuo nomine appellas, cum omnes meo diſceſſu exulaſſe Rempub. putent? Nunquàmne homo amen- tiſſime te circumſpicias? nunquam nec quid facias conſiderabis, nec quid loquare? Neſcis exilium, ſclerum eſſe pœnam: meum illud iter ob præclariſſimas res à me antè geſtas eſſe ſuſcep- tum? Omnes ſclerati atque impij, quorum tu te ducem eſſe proſiteris, quos leges exilio affici uolunt, exules ſunt, etiam ſi ſolum non mutarunt. An quum omnes te leges exulem eſſe iu- beant, non appellet inimicus? Qui cum telo fuerit: ante Se- natum tua ſica deprehenſa eſt. Qui hominem occiderit: tu plurimos occidiſti. Qui incendium fecerit: ædes Nympharum manu tua deſlagrauit. Qui templa deorum occupauerit: in foro caſtra poſuiſti. Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul? Familiariſſimus tuus de te priuile- gium tulit, ut ſi in opertum Bonæ deæ acceſſiſſes, exula- res. At te id feciſſe etiam gloriari ſoles. Quomodo igitur tot legibus eiectus in exilium, nomen exulis non perhorreſcis? Romæ ſum, inquis. Et quidem in operto fuiſti. Non igitur ubi quiſque erit, cuius loci ius tenebit, ſi ibi cum legibus eſſe non oportebit.



ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δούλος. Omnes sapientes liberos esse, & stultos omnes seruos. Parad. 5.

**L** Audetur uerò hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur? Quomodo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primum libidines, spernat uoluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, ceteras animi labe repellat: tum incipiat alijs imperare, cum ipse improbissimis dominis decori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obedierit, non modò imperator, sed liber habendus omnino non erit. Præclare enim est hoc usurpatum à doctissimis, quorum ego authoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestes hæc habèda esset oratio: cū uerò apud prudentissimos loquar, quibus hæc inaudita non sint, cur ego simulem me, si quid in his studijs operæ posuerim, perdidisse? Dictum est igitur ab eruditissimis uiris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas uiuendi ut uelis. Quis igitur uiuit ut uolt, nisi qui recta sequitur? qui gaudet officio: cui uiuendi uia considerata atque prouisa est: qui ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit, quòd salutare maximè esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat deniq; nisi libenter ac liberè: cuius omnia consilia, resq; omnes quas gerit, ab ipso proficiuntur, eodèq; feruntur: nec est ulla res quæ plus apud eum polleat, q̃ ipsius uoluntas atque iudicium: cui quidē etiam (quæ uim habere maximā dicitur) fortuna ipsa cedit: sicut sapiens poëta dixit, suis ea cuiq; fingitur moribus. Soli igitur hoc cōtingit sapienti, ut nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod etsi ita esse, pluribus uerbis differendum est, illud tamen & breue & cōfitendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminē. Igitur omnes improbi, serui: nec hoc

B iij



tam re est, q̄ dictu inopinatu, atq; mirabile. Nō enim ita dicūt  
 eos esse seruos, ut mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu,  
 aut aliquo iure ciuili: sed si seruitus sit, sicut est, obediētia fra-  
 teli animi & abiecti, & arbitrio carētis suo, quis neget omnes  
 leues, omnes cupidos, omnes deniq; improbos esse seruos? An  
 ille mihi liber, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit,  
 iubet, uetat quod uidetur? qui nihil imperanti negare potest,  
 nihil recusare audet? poscit? dandum est. uocat? ueniendū. eiicit?  
 abeundū. minatur? extimescendum. Ego uerò istum non modò  
 seruū, sed nequissimū seruū, etiam si in amplissima familia  
 natus sit, appellandū puto. Atq; ut in magna familia stultorū,  
 sunt alij lautiores (ut sibi uidetur) serui, sed tamen serui, atri-  
 ces ac topiarij, stultitiæ suæ quos signa, quos tabulæ, quos cæ-  
 latum argentū, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica  
 nimio opere delectant. Et sumus, inquiunt, principes ciuitatis.  
 Vos uerò ne cōseruorum quidem uestrorū principes estis. Sed  
 ut in familia, qui tractant ista, qui tergent, qui ungūt, qui uer-  
 runt, qui spargunt, non honestissimum locum seruitutis tenent:  
 sic in ciuitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt,  
 ipsius seruitutis locum penè infimum obtinent. Magna, inquis,  
 bella gessi: magnis imperijs & provincijs præfui. Gere igi-  
 tur animum laude dignum. Ectionis tabula te stupidum deti-  
 net, aut signum aliquod Polycleti. Mitto unde sustuleris, quo-  
 modo habeas: intuentem te, admirantem, clamores tollentem  
 cum uideo, seruū esse ineptiarum omnium iudico. Nōne igi-  
 tur sunt illa festiua? Sint. nam nos quoque oculos eruditos  
 habemus. Sed obsecro te, ita uenusta habeantur ista, non ut  
 uincula uirorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid  
 enim censes? si L. Mummius aliquē istorum uideret matellio-  
 nem Corinthiū cupidissime tractantē, cum ipse totā Corinthiū

con-



cōtempfisset, utrum illum ciuem excellentē, an atriensem diligentem putaret? Reuiviscat M. Curius, aut corū aliquis, quorum in uilla ac domo nihil splendidum, nihil ornatū fuit præter ipsos: & uideat aliquē summis populi beneficijs usum, barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem, & muranarum copia gloriātem: nonne hunc hominē ita seruuum iudicet, ut ne in familia quidem dignū maiore aliquo negotio putet? An eorum seruitus dubia est, qui cupiditate peculij nullam conditionem recusant durissimæ seruitutis? Hæreditatis spes, quid iniquitatis in seruiendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis nō obseruat? Loquitur ad uolūtatem: quicquid denūciatum sit, facit: affectatur, assidet, muneratur. Quid horum est liberi? quid denique serui non inertis? Quid iam illa cupiditas (quæ uidetur esse liberalior) honoris, imperij, puinciarū: quā dura est domina, quā imperiosa, quā uehēmēs! Cethego homini nō probatissimo seruire coëgit eos qui sibi esse amplissimi uidebātur, munera mittere, noctu uenire domū ad eum, precari, denique supplicare. Quæ seruitus est, si hæc libertas existimari potest? Quid cū cupiditatis dominatus excessit, & aliud est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor? Quā est illa misera, quā dura seruitus? Adolescentibus paulo loquacioribus est seruiendum: omnes qui aliquid scire uidentur, tanquam domini timentur. Iudex uerò quantum habet dominatum? quo timore nocētes afficit? an non est omnis metus seruitus? Quid ualet igitur illa eloquētissimi uiri L. Crassi copiosa magis quā sapiens oratio, Eripite nos ex seruitute? Quæ est ista seruitus tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitata & humilis & fracta timiditas, seruitus est. Nolite sinere nos cuiquā seruire. In libertatem iudicari uult? Minimē. Quid enim? adiungit, Nisi uobis uni-

B iij



uerfis. Dominū mutare, non liber esse uult. Quibus & possu-  
mus, & debemus. Nos uerò, si quidem animo excelfo & alto,  
& uirtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus.  
Tu posse te dicit, quoniam quidem potes. debere ne dixeris,  
quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non red-  
dere. Sed hæc hæctenus. Ille uideat quomodo imperator esse  
possit, cum eum ne liberum quidem esse ratio & ueritas ipsa  
conuincat.

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. Quod  
solus sapiens diues.

Paradoxon. 6.

**Q**Uæ est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens  
ostentatio? solusne tu diues? Prò dii immortales, egone  
me audiuisse aliquid, & didicisse non gaudeam? so-  
lusne diues? Quid si ne diues quidem? quid si pauper etiam?  
Quem enim intelligimus diuitem? aut hoc uerbum in quo ho-  
mine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio est, ut ad libe-  
raliter uiuendum facillè contentus sit: qui nihil quærat, nihil  
appetatur, nihil optet amplius. Animus oportet tuus se iudicet  
diuitem, non hominum sermo, neq; possessiones tuæ. Nihil sibi  
deesse putat, nihil curat amplius, satiatus est, aut contentus e-  
tiam pecunia? cōcedo, diues est. Sin autem propter auaritatem  
pecuniæ, nullum quæstum turpem putas, cum isti ordini ne ho-  
nestus quidē possit esse ullus, si quotidie fraudas, decipis, po-  
scis, pacisceris, aufers, eripis, socios spolias, ærarium expilas, si  
testamēta amicorū expectas, aut ne expectas quidem, at ipse  
supponis: hæc utrum abundantis, an egentis signa sunt? Animus  
hominis diues, non arca, appellari solet. quanuis illa sit plena,  
dum te inanem uidebo, diuitē non putabo. Etenim ex eo, quā-  
tum cuiq; satis est, metiuntur homines diuitiarum modum. Fi-  
liam



liam quis habet? pecunia est opus. duas? maiore. plures? maiore  
 etiā. Si (ut aiunt) Danaï quinquaginta sunt filiæ, tot dotes ma-  
 gnam querunt pecuniam. quantum enim cuique opus est, ad id  
 accommodatur, ut antè dixi, diuitiarum modus. Qui igitur nō  
 filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quæ breui  
 tempore maximas copias exhaurire possint: hunc quādo ego  
 appellabo diuitē, cum ipse egere se sentiat? Multi ex te audie-  
 runt cum diceres neminem esse diuitem, nisi qui exercitiū ale-  
 re posset suis fructibus: quod populus Ro. tantis uectigalibus  
 iam pridem uix potest. Ergo hoc proposito nunquam eris di-  
 ues, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut  
 eo tueri sex legiones, & magna equitum ac peditum auxilia  
 possis. Iam fateris igitur non esse te diuitē, cui tantū desit, ut  
 expleas id quod exoptas. Itaque istam paupertatē, uel potius  
 egestatem ac mēditatem tuam nūquam obscure tulisti. Nam  
 ut ijs qui honestè rem querunt mercaturis faciendis, operis  
 dandis, publicis sumēdis, intelligimus opus esse quæsito: sic qui  
 uidet domi tuæ pariter accusatorum atque indicum confocia-  
 tos greges, qui nocentes & pecuniosos reos eodem te authore  
 corruptelam iudiciū moliētes, qui tuas mercedum pactiones in  
 patrocinijs intercifas, pecuniarum in coitionibus candidato-  
 rū, dimissiones libertorum ad fœnerādas diripiendāsque pro-  
 uincias, qui expulsionēs uicinarum, qui latrocinia in agris, qui  
 cum seruis, cum libertis, cum cliētibus societates, qui possessio-  
 nes uacuas, qui proscriptiones locupletum, qui cædes municipi-  
 orum, qui illam Syllani temporis messē recordetur, qui te-  
 stamenta subiecta, qui sublatos tot homines, qui deniq; omnia  
 uenalia, delectum, decretum, alienam, suam sententiam, forum,  
 domum, uocem, silentiū: quis hunc nō putet confiteri sibi quæ-  
 sito opus esse? Cui quæsito autem opus sit, quis unquam hunc



uerè dixerit diuitem? Etenim diuitiarum est fructus in copia: copiam autem declarat satietas rerū atque abundantia: quam tu quoniam nunquam assequere, nunquā omnino es diues futurus. Meam autem quoniam pecuniā contemnis, & rectè (est enim ad uulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica) de me silebo, de re loquar. Si cēsenda nobis atq; aestimanda res, utrum tādē pluris aestimemus pecuniam Pyrrhi quam Fabritio dabat, an continentiam Fabritij, qui illam pecuniam repudiabat? Vtrum aurum Samnitum, an responsum Marci Curij? hereditatem L. Pauli, an liberalitatem Africani, qui eius hereditatis Quinto Maximo fratri partem suam concessit? Hæc profectò, quæ sunt summarum uirtutum, pluris aestimāda sunt, quā illa quæ sunt pecuniæ. Quis igitur (si quidem ut quisque quod plurimi sit possideat, ita diuitissimus habendus sit) dubitet quin in uirtute diuitiæ sint, quoniā nulla possessio, nulla uis auri & argenti, pluris quā uirtus aestimanda est? O dii immortales, non intelligunt homines quā magnū uectigal sit parsimonia. Venio enim iam ad sumptuosos, relinquo istum quæstuosum. Capit ille ex suis prædijs sexcenta sestertia, ego centena ex meis. Illi aurata tecta in uillis & sola marmorea facienti, & signa, tabulas, supellectilem & uestem infinite concupiscenti, non modò ad fructum ille est sumptus, sed etiam ad fœnus exiguus. Ex meo tenui uectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Vter igitur est diuitior? cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cuius possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuendam, an quæ suis se uiribus sustinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum uitio aliquantum etiam ipse fortasse in huius seculi errore uerser? Marcus Manilius patrū nostrorū memoria (ne semper Curios & Luscinius loquamur)

pauper



pauper tādē fuit: habuit enim ædículas in Carinis, & fundum in Labicano. Nos igitur diuitiores, qui plura habemus? Vtinam quidem. Sed non æstimatione census, uerum uictu atque cultu terminatur pecuniæ modus. Non esse cupidū, pecunia est: non esse emacē, uictigal est. Contentum uerò suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ. Etenim si isti callidi rerum æstimatores, prata & areas quasdam magno æstimant, quòd ei generi possessionum minimè quasi noceri potest: quāti est æstimāda uirtus, quæ nec eripi nec surripi potest, neque naufragio neque incēdio amittitur, nec tempestatum nec temporum permutatione mutatur? Qua præditi qui sunt, soli sunt diuites. Soli enim possident res & fructuosas, & sempiternas, solique (quod est proprium diuitiarum) contenti sunt rebus suis. Satis esse putāt quod est, nihil appetūt, nulla re egēt: nihil sibi deesse sentiūt, nihil requirunt. Improbi autē & auari, quoniam incertas, atque in casu positas possessiones habēt, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui quod haberet, esset satis: non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

F I N I S.

opia:  
quam  
es fu-  
tē (est  
meam  
æsti-  
pyrhi  
m pe-  
onsum  
frica-  
suam  
s plu-  
tur (si  
simus  
ā nul-  
s æsti-  
quām  
ptuo-  
is sex-  
uillis  
Etilem  
ille est  
Etiga-  
dabit.  
get, an  
irit ad  
de me  
um ipse  
patru  
amur)  
pauper



